



Vorh

als Nr. 209.

Fürsterl. v. 3 andere Schriften

P.<sup>VIII</sup>. 109.



L a

DISPUTATIONUM THEOLOGICA-  
RUM DE PRÆCIPUIS FIDEI CHRI-  
STIANÆ ARTICULIS,

I.

Dicitur

# SCRIPTURA SACRA,

*Quam,*

Favente hujus Autore

Deo,

*Sub PRÆSIDIO*

VerbiOLFGANGI FRANZII,

S. S. Theologiæ D. & Professoris in Il-  
lustri Academia Verbiittebergen-  
si publici,

*Collegis examinandam proponit*

M. SIGISMUNDUS EVENIUS

Navena-Marchicus.

*In templo arcis,*

Ad diem 25. Septemb. horis consuetis.

VerbiITTEBERGAE  
TYPIS JOHANNIS GORMANNI.

*ANNO M. D. CXI.*



VIRIS

*Reverenda dignitate, Pietate ac Eruditione,  
Ornatisimis,*

Dn. ANDREÆ MARSILIO, }  
Dn. MICHAELI WESTPHALO, } Navenæ

Dn. MATTHÆO JAHN, }  
Dn. CHRISTIANO SIMONI, } Lichenæ

*Animarum Pastoribus fidelissimis.*

N E C N O N

*Amplissimis, prudentia doctrinaq; multiplici  
præstantissimis,*

Dn. THOMAE BULLEN, }  
Dn. MATTHÆO GÜTSCMIDIO, } Navensis,  
Dn. ANDREÆ HACKENBERGIO, }  
Dn. NICOLAO RUNGIO, }  
Dn. PETRO KLINGENBERGIO, } Lichenensis  
Dn. BARTHOLDO ROESICHO, }

*Rerump. Consulibus, cæterisq; Reip. utriusq;  
Senatoribus dignissimis,*

*Dn. Patronis, Fautoribus ac Amicis suis colendiss.*

*In HONORIS, AMORIS, OBSERVANTIAE ET  
Gratitudinis testimonium.*

D. D. D.

M. Sigismundus Evenius,  
Autor & Respondens,

# DE SCRIPTURA SACRA,

## Thesis I.

**Q**uod de Sacrarum literarum usu gene- *Scriptura*  
rali alicubi scribit Hieronymus: Si quic- *Law.*  
quam est, quod in hac vita virum sapi-  
pientem teneat, & inter pressuras &  
turbines mundi æquo animo manere  
persuadeat; id esse primum reor, Me-  
ditationem & Scientiam Scripturarum: illud nos non  
immerito & jure quidem potiori futuro Theologo ap-  
plicantes dicimus: Si quicquam est, quod Theo-  
logum teneat, & inter turbines falsæ doctrinæ firmo  
& constantianimo manere persuadeat; solam & uni-  
cam Scripturam esse sacram.

II. Sicut enim *πολὺς ἀνθρώπινης σοφίας λόγοις* hu-  
mana potest excellere sapientia, Deiq; sapientiam  
pro stultitia habere *1. Cor. 2. vers. 4. & cap. 1. vers. 18. &*  
*21:* ita de Scripturis solis questiones suas si sistere co-  
gantur hæretici, & auferantur illis, quæ cum Ethnicis  
iapiunt, stare non poterunt, ut ait Tertull. *de resur. carn.*

III. Quod ipsum in *συζητήσει* nostris futuris Theo-  
logicis dictum nobis observandumq; existimamus, in  
quibus non conveniet Aristotelis argumenta con-  
quirere; nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ rivulos  
ducere; nec aures Quintiliani flosculis & scholaride-

A 2

clama-

clamatione mulcere: sed Scripturæ erunt audiendas  
sanctæ & divinitus inspiratæ, quæ ad veritatis indica-  
tionem sunt sufficientissimæ.

IV. Et optandum sanè esset ex æquo omnes lucer-  
næ huic apparenti in loco obscuro 2. Pet. 1. v. 19. ut at-  
tenderent, nec doctrinas, quæ præcepera sunt homi-  
num, Matth. 5. v. 9; magis sequerentur; hac enim ratio-  
ne aut minus errorum esset in Ecclesia, aut ex illis in  
veritatis viam facilior redditus.

Scriptura cō-  
sideratio  
necessaria.

V. Verùm enimvero cùm in hæc reservatisimus  
tempora, quibus non tantum εμπάκτια extra Ecclesiæ  
pomeria constituti Scripturam S. irrident & floccifa-  
ciunt; sed iij etiam, qui prima & præcipua, iniò unica  
Ecclesiæ pars & DEI populus haberi volunt, male lano  
eonatu eandem velut ineptam rejiciunt, vel ut insuf-  
ficientem supplent, vel ut obscuram carpunt, alijsq;  
modis sexcentis in eam sunt injuriosissimi: salus certè  
ipsa Ecclesiæq; Scripturæ, (ex qua 1. Pet. 1. v. 23. ὡς ἐκ τω-  
ρᾶς ἀφθάρτη διὰ λόγου ζῶντος illa nascitur) larta tecta  
conservanda auctoritas & majestas postulat, ut sub  
Theologicorum horum exercitorum initio de Scri-  
ptura aliquid differamus.

VI. Accedit reliquarum disciplinarum ratio, quæ  
cum omnes principiorum certitudinem ad sciētiām,  
quæ animum hominis βεβαιού νοή αμετάπτωτον reddat,  
generandam requirant: P in inferioris esset omnibus  
nostra Theologia, si principijs αυτονομού νοή αναποδείκνυσ-  
destitueretur.

VII. De Scriptura ergò sacra disputaturis, nominis  
seu ipsius vocabuli primū omniū ratio erit habenda.  
Literis ergò comprehensam doctrinam vocamus Scri-  
pturam, caniq; sacram à DEO quippe profectam, non  
volun-

voluntate humana allatam 2. Pet. 1. v. 21. Sacrum enim antiquis dicebatur omne id, quod Deorum habebatur.

**IIX.** Coincidit ergo appellatio cum Verbo DEI scripto, quæ vox  $\text{εγέρθη}$  est Matth. 4. v. 4. 2. Reg. 9. v. 36. & passim alibi in concionibus Prophetarum.

**IX.** Quæ ipsa ne ambiguitatem & dehinc errorrem nobis pariat, secundum diversa significata nobis evolvenda est. Significat enim verbum DEI aliquando ipsum DEI præceptum, ut quando verbum ejus celerimè dicitur currere. Psal. 147, 15; quandoq; vim Dei vivificam, quâ omnia sustentat & conservat, quomodo non tantum pane sed in omni verbo DEI dicitur vivere homo, loco ante citato Matth. 4, 4; aliquando DEI vel promissionem Psal. 119, v. 25. vel comminationem 2. Reg. 9, v. 26; Apud Johannem Evangelistam plerumque notat Filium DEI λόγον ἐστιαδή καὶ σωματίου τῶν πατέρων cap. 1, v. 1. & alijs in locis.

**X.** Ex hisce significatis omnibus nulla hujus est loci, sed per Verbum DEI, cælestem illam doctrinam intelligimus, quæ ministerio fido Prophetarum & Apostolorum Ecclesiæ est tradita & patefacta.

**XI.** Definimus ergo Verbum DEI seu Scripturam Sacram <sup>Quid Scriptura</sup>, doctrinam impulsu Spiritus Sancti à Prophetis & Apostolis <sup>ra seu DEI</sup> literarum monumentis consignatam, de essentia & voluntate DEI nos instituentem.

**XII.** Doctrinam dicimus Scripturam S. ductu Scripturæ, quæ Ioh. 7. v. 16. Act. 13. v. 12. διδάχης nomine indiget verbum prædicatum à Christo & Apostolis.

**XIII.** Hanc ut discernamus à doctrinis alijs (sunt illæ doctrinæ, quæ præcepta sunt hominum Matt. 15, 9; doctrina vana. Psal. 144. v. 11.), adjicimus impulsu Spiritus S. eam à Prophetis & Apostolis literarū monumentis esse consignatam, &c.

A. 3. 14. A. 14.

**Autor seutau-** XIV. Afferentes hisce Scripturæ S. I. *Autorem*  
**sa efficiens** seu Causam efficientem, quæ duplex est: Divina & Hu-  
**Scriptura.** mana. Illa Spiritus est DEI seu S. S. Trinitas, DEUS  
Pater, Filius & Spiritus S. unicus & aeternus ille JE-  
HOVAH. Jehovæ Spiritus, Regius. inquit Propheta 2.  
*Sam. 23. v. 2.* loquutus est per me, & sermo ejus per lin-  
guam meam.

XV. Filius verò DEI præterquam quod communi  
Patrum consensu λόγῳ & Orator putatur fuisse, qui  
tām varijs modis in Veteri Testamento cum Patribus  
& Prophetis fuit locutus voluntatem suam illis pate-  
faciendo: novo planè modo ἐπ' ἔχατων ήμέρων nobis est  
locutus, teste epist. *Heb. cap. 1. v. 2*; dum manifestatus  
in carne ex sinu Patris nobis protulit Evangelium seu  
mysteriū illud temporibus aeternis tacitū, *Rom. 16. v. 25*.

XVI. Quia autem hominibus isthac siebat revela-  
tio, per homines quoque eam ut causam proximam  
fieri Deus voluit & pro Ecclesiæ quidem statu & tem-  
poribus diversos, qui in yasis testaceis thesauros illos  
divinos portarunt.

XVII. Et in Veteri quidem Testamento per os san-  
ctorum, qui à seculo fuerunt, Prophetarum est locu-  
tus, *Luc. 1. v. 70*: nec fecit verbum Dominus Deus,  
nisi revelaret secretum suum ad servos suos Prophe-  
tas. *Amos 3. v. 7*.

XIX. In Novo verò per Apostolos, quos alioquin  
maximam partem idiotas & literarum ignaros virtu-  
te armavit Spiritus inq; universum ablegavit orbem,  
ut docendo & prædicando Evangelium omni creatu-  
ræ: estes ei essent non solum Hierosolymis, verùm etiā  
*Matth. 28, v. 19. Act. 1, v. 8.*

19. Ab

XIX. Ab hisce administris non tantum prædicta. Verbum DEI  
tum hoc ipsum est verbum, sed etiam literarum monu-literis consi-  
mentis consignatum, idq; ipsum nec sine jussu nec causisgnatum.  
gravissimis.

XX. Non enim ipse Jehovah tantum legem lapi-  
deis in tabuliis manu propria scriptam Moysi tradidit,  
*Exod. 24. v. 12*: sed Moyses quoque verba foederis in li-  
brum scribere est jussus. *Exod. 34. v. 27*: quem Reges  
quoque sibi describere mandavit. *Deut. 17. v. 18. Josu.*  
*8. v. 7.*

XXI. Idem de reliquis Veteris Testamenti libris est  
intelligendum, quorum autoribus si non scriptio ex-  
pressè omnibus est demandata, qui in tamen jussu & in-  
stinctu DEI ea facta fuerit, nullum est dubium.

XXII. In Novo Testamento idem scriptionis man-  
datum extat *Apocalyps. r. v. 11. & 14. v. 13.* Scribe in li-  
bro & mitte Ecclesijs. Quod idem intelligendum fa-  
ctum ad reliquos fuisse, ut ex sequentibus patebit.

XXIII. Causæ siquidem non leves occurunt, qui-  
bus ad consignationem eorum, quæ docebant, impel-  
lebantur ipsi Apostoli, qualis fuit Integritas cum pri-  
mis doctrinæ cœlestis, quæ sine scriptione stare nullo  
modo poterat.

XXIV. Si enim non tantum revelationes omnes  
cessarunt, sed etiam 1. hominum memoria imbecillis est,  
postremis præsertim hisce temporibus, quibus una  
cum viribus & ætate hominis etiam memoriæ vigor  
magis magisq; deficit; sed etiam 2. Diaboli organorumq;  
ejus studium indefessum seminandi in tritici medio sua  
zizania *Matth. 13. v. 25*: quod viventibus etiam Apo-  
stolis subinde in Ecclesia tentarunt. *Act. 15. v. 24. 2 Thes.*  
*2. v. 2; 3. rerum itidem in Scripturis tractatarum tum sub-*  
*limitas.*

limitas magna, tūm ingens multitudo: Quis scriptionem  
heic non magnopere judicet commendandam, qua  
omnibus hīce corruptelis obviam iri, doctrinæq; Geo-  
nueus sinceritatis illibata multis seculis conservari  
potest?

XXV. Quæ omnia cùm circa creationis initium  
ad exitum usque populi Israelitici ex Aegypto & ultra  
etiam non ita obtinebant; per annos bis mille, qua-  
dringentos & quadranginta quatuor scripto carebat  
verbo Ecclesia, Scripturæ vicem DEO revelationibus  
& colloquijs cum Patribus, qui depositum hoc sacro-  
sanctum diligentissimè custodiére, suisq; filijs & ne-  
potibus fidelissimè tradidére, supplente. Gen. 3.4.6.9. &  
seq. capitibus.

Scriptura Au-  
toritas du-  
plex:

Divina.

XXVI. II. Quod ex Scripturæ hujus determina-  
tione fluit est ejus Autoritas, quæ in duobus consistit,  
tūm quod divina, tūm quod Canonica sit Scriptura  
sacra.

XXVII. Divinam esse liquet κριτηρίοις quibusdam,  
quæ sunt tūm testimonia tūm argumenta alia maje-  
statem ejus autoritatemq; planè divinam afferentia.

XXIX. Testimonia sunt duplia: Divina & Huma-  
na. E divinis 1. est illud, quo de iam est dictum, quod  
DEUS Iesus autor est, suumq; vocat verbum, quod de o-  
re ipsius egrediatur. Esa. 55. v. 11, & sermones, quos non  
humana docet sapientia sed sanctus DEI Spiritus, 1. Cor.  
2. v. 11.

XXIX. 2. Quod Idem spiritus cuique fideli in cor-  
de perhibet, sanciendo, confirmando, persuadendo,  
obsignando & largiendo, ut credamus verbum hoc ve-  
rè DEI esse verbum, qui enim unxit nos, D E U S est,  
qui etiam obsignavit nos deditq; arrhabonem spiritus

in



in cordibus nostris. 2. Cor. i. v. 22, qui Spiritus testatur Spiritum esse veritatem 1. Ioh. 5, v. 6.

XXX. 3. Quod Scriptura Scripturæ, Novi Testamenti libri libris Testamenti Veteris, & hi illis, unusq; liber biblicus alteri communicat; ex qua jucundissima aquovia eventu ipso comprobata conclidi aliud non potest, quam verè Christus hanc esse Scripturam.

XXXI. Humanæ testimonia divinitatem ac Majestatem sacrosanctam Scripturæ comprobantia itidem duūm sunt generum: Sacrum unum, Alterum profanum.

XXXII. Sacrum est Ecclesiæ omniumq; in ea fidelium, qui consensu unanimi à primo verbi DEI publicati tempore hanc Scripturam ut divinam agnovere, venerati sunt, custodiverunt & posteris commendarunt. Quod ipsum quamvis ut instrumentum se habeat, quo ad agnoscendas Scripturas primùm quasi manus ducimur; pondere tamen suo non destituitur.

XXXIII. Profanum est hominum extra Ecclesiam constitutorum, qui non minus Scripturæ S. S. suam hanc auctoritatem divinam illibatam afferunt. Quales sunt 1. Turcae, qui in Alcorano suo fatentur Moysen & Jesum Christum tanquam indubios Prophetas docuisse viam DEI, eamq; stupendis miraculis confirmasse.

XXXIV. 2. Iudeorum modernorum, qui tūm scripta V. T. pro divinis agnoscunt, tūm consensu Novi cum Vetere suavissimo, venditazione multorum Messiæ loco & nomine, & demum exilio illo suo ineluctabili dispersioneq; misera & perpetua Novi veritatem largiri coguntur; utriusq; cælestem originem non obscurè confirmantes.

XXXV. 3. Idem Ethnici faciunt, quando omni tempore Scriptis publicis testati sunt, dari religionem

B quan-

quādam, cuius ritus & statuta à gentilium moribus  
sunt alienissima, quorum testimonia videantur nume-  
ro benē multa apud *B. Hunnum pia memoria Praecepto-*  
*rem nostrum in lib. de Majest. & certitud. Scripturæ cap. 18.*

XXXVI. Et hactenus de Testimonij Scripturæ;  
Quibus Argumenta alia ex efficacia, rerum & styli ma-  
jestate, eventuum certitudine &c. attexere possemus,  
nisi brevitas nobis imperareret, & ad alia invitaret præ-  
sens institutum.

*Canonica.*

XXXVII. Ex hoc ergò Divinitatis fonte *Canonica*  
quoq; Scripturæ manat *autoritas*, quam habet in diri-  
genda vita & fide, dijudicandisq; omnibus circa hæc  
exortis controversijs.

XXXIX. Funiculus siquidem seu amussis, canon &  
norma est, *Psal. 19. v. 4.* ad quem non vivit animùm able-  
gantur *Esa. 8. v. 2a.* sed etiam in extremo die sunt judi-  
candi vivi & mortui *Dan. 7. v. 11. Ioh. 12. v. 48.*

XXXIX. Competit a. *Canonica* hæc auctoritas non  
omnib. in universum libris biblicis, sed certis quibus-  
am, quotū numerum videbimus infrā rejectis notis  
& adulterinis tūm libris reliquis, tūm traditionibus.

XL. Præter hanc ergò Scripturam *Controversiarū*  
Judex aliis assignandus non est; seu Scriptura sola post  
scriptionē librōrū Mosis in Veteri, & Apostolicorum in  
Novo T. constitutionē in canone, judex seu vox Judi-  
cis absoluti & summi, universalis, legitima ordinaria,  
justa & infallibilis est omniū, quæ in Ecclesia circa cul-  
tum ac religionē vel extiterunt unquam, vel adhuc fu-  
turæ sunt ad novissimum usq; diem, controversiarum.

*Scripturanor-  
ma unica con-  
troversiarum  
fides.* LXI. Assertionis causæ sunt. 1. *Sola Scriptura est àuctoritéu-*  
*sus nulli errori obnoxia, extra quam error est creber-*  
*timus Marc. 12. v. 24. 2. ad eam solam in dubijs contro-*  
*versijs*

versis ablegamus & sumus alligati. *Luc. 16. v. 29. Ioh. 5. v.*  
29.3. sola est *gloriæ nos*, cui proinde fides nostra tutò po-  
test inniti, quæ ut ex auditu, ita hic ex verbo DEI *Rom.*  
*10. v. 17. 4. ob solam ab hac recessione reprehensi sunt, quicunq;*  
sunt reprehensi. Exemplo sunt, Nadab & Abihu, *Lev. 10.*  
*v. 1. Salomon 3. Reg. 11. v. 33. Jerobeā 1. Reg. 12. v. 28. & alij.*

**XLII.** Quod nostrum pronunciatū nec DEo vel Spi-  
ritu S. judicium derogat, nec Ecclesiæ. DEUS enim ut  
Judex & legislator *Esa. 33. v. 22. Jacob. 4. v. 12. autor & cō-*  
*summator nostræ fidei Heb. 12. v. 2. & Spiritus S. qui in*  
*omnem veritatē dicit fidèles Joh. 16. v. 13. judicant per*  
*verbū Scriptis Propheticis & Apostolicis cōprehensū.*

**XLIII.** *Ecclesia* verò judicium habet limitatum &  
ad Scripturam alligatum, quæ quippe superstructa est  
super fundamentū Prophetarum & Apostolorū *Eph. 2.*  
*v. 20. & judicatur ipsa 1. Joh. 4. v. 1. errori itidem est ob-*  
*noxia, cùm ex parte tantum cognoscat 1 Cor. 13. v. 9. &*  
*ipso actu non raro tūm in Novo tūm veteri Testamen-*  
*to erravit, uti exempla testantur.*

**XLIV.** III. Quod hinc promanat *Scriptura* est *perfectio*, *Scriptura*  
qua sufficenter omnia complectitur & tradit, quæ ad *summa perfe-*  
*salutem* sint necessaria, sive mores informandos sive *līo*.  
fidem ipsam recipias.

**XLV.** Demonstrat hanc. 1. *finis promulgationis Scri-*  
*pturarū*, qui fuit perfectissimè caōnia tradere, quæ de  
Dei tūm essētia tūm volūtate cognitu erāt necessaria.  
Hinc Apostoli nihil subterfugisse dicūtur, quò minus  
nobis omne Dei consiliū anūciarent *Act. 20. v. 20. & 27.*  
unde & *Scripturæ* hominē reddūt perfectū, 2. *Tim. 3. 16.*

**XLVI.** 2. *Additionis & detractionis omnis prohibitio*.  
Cūm n. ip̄i Philosopho lib. 5. *Metaph. c. 16. tēλειον* sit illud,  
g μή ἐστι εξω τὶ λαζάρ; *Scriptura* verò nec additionē nec  
detractionē patiatur, non tantum in specie *Test.* *Vet.*

*Deut. 4. v. 2. & cap. 5. v. 32. Prov. 30. v. 6. Ezech. 20. v. 18; sed omnis omnino. Apoc. 22. v. 18. & 19; perfectam*  
*quam esse hinc est consequens.*

**X L V I I.** 3. *Sufficientia seu utilitas Scripturae ad omne opus bonum perfectè, quam ei assignat Apostolus loco dicto 2. Tim. 3. v. 16: aphorismo illo classico: Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad doctrinam, redargutionem, correctionem, & institutionem, quæ est in justitia, ut integer sit DEI homo ad omne opus bonum apparatus.*

**X L I X.** Cum quibus omnibus non pugnat, quod omnia, quæ DEUS, Prophetæ & Apostoli olim sunt locuti, non sint scripta; quod ritus omnes & ceremoniæ non sint consignatae; quod denique per traditiones olim Ecclesia V. T. 2454. annis & N. T. 20. fuit edicta: sufficit enim nobis, quod necessaria & cultum mores, quæ attinentia sint scripta, quibus post Canonis constitutionem Ecclesia possit informari.

**X L I X. iv.** Perfecta hæc Scriptura si est, à causa perfectissima DEO profecta, perspicuā eam ipsam esse necesse est, quæ in rebus fidem & salutem nostram concernentibus ingenitam quandam lucem habeat, ut ab homine pio & fideli etiam sine testimonio Ecclesiæ intelligi possit.

**L.** Si enim verbum Jehovæ lucerna est pedum nostrorum & lumen semitarum nostrarum; si ingressus sermonum ejus est lux intelligentiam conferens parvulis, ut asserit Psalmista Psal. 119. v. 105; si mandatum Lucerna, & Lex Lux, quæ splendet in loco obscuro, ut Salomon Proverb. 6. v. 23. & Petrus 2. ep. 1. v. 19: testantur: quomodo obscura eis poterit Scriptura?

**L I.** Et quomodo Deusquitum orationis, tūm per-

*Scriptura:  
perspicuitas.*

perspicuitatis omnis est Autor? quomodo Christus,  
qui Lux est vera illuminans omnem hominem veni-  
entem in hunc mundum *Ioh. i. v. 9*? quomodo Spiritus  
DEI, cuius proprium est illuminare corda credenti-  
um, sine blasphemia & impietate eam doctrinam, per  
quam fideles regenerantur. *i. Pet. i. v. 23.* & illuminatur.  
*Psal. 119. v. 9.* & *12.* & salvantur. *i. Cor. i. v. 21;* involucris &  
enigmatib. dici poterit involuisse equidem nō video.

LII. Sint sanè quædam in sacro codice obscura,  
ut sunt abstrusissimæ visiones & prophetiæ nonnullæ  
(quibus DEUS fastidium voluit abstergere, studium  
inquirendi diligentius excitare & gravitatem concio-  
nibus plerisque conciliare); sint quædam ducantia, à ḥ  
ἀμαθεῖς καὶ ἀτηρικτοὶ σφελάσσων πέδες τὴν ιδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν,  
ut loquitur *Petrus 2. ep. 3. v. 16*; poterit né hinc cwesti-  
gio Scripturæ totius & ratione quidem capitum do-  
ctrinæ seu articulorum fidei, qui ad salutis nostræ ne-  
gotium pertinent, lectorem natæ, qui juxta regulam  
*Hilarij Lib. i. de Trinit.* dictorum intelligentiam expe-  
ctet ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis  
quam attulerit, neq; cogat hoc videri dictis conti-  
neri, quod ante lectionem præsumpscerit intelligen-  
dum, obscuritas evinci?

LIII. Quod si perspicua est Scriptura; quis Lai-  
cum hominem singulæ, in quam translatæ est, gnarum  
ab ejus lectione abigat? quem invitant, imò cogunt  
ad hujusmodi studium & mandata divina, quæ in Legis  
divinæ meditatione assidua beatitudinem hominis  
Christiani positam asseverant *Psal. 1. v. 1.* & *119. v. 15*  
quæ non Sacerdotes modo sed Reges, imò tam mulie-  
res quam viros, parvulos & advenas in Lege volunt  
occupari, *Deut. 17. v. 18.* & *19.* & *cap. 31. ii.* quæ Scri-  
pturas

turas jubent scrutari. *Ioh. 5. v. 39.* & ad eas laicos etiam remittunt *Luc. 16. v. 29.*

LIV. Et *Salus* cuiusq; propria, quæ cum fidem requirat propriam *Habacuc. 2. v. 4.* & in ea certitudinem quandam, quæ spiritus possit probare & à Pseudoprophetis sibi cavere *i. Joh. 4. v. 1. Matth. 7. v. 11;* lectionem omnino requirit, qua Scripturas scrutetur, an Doctorū dicta ita se habeant exēplo *Berrhoēnsiū Act. 17. v. 11.*

LV. Et *fructus* denique hinc proveniens maximus. Ut enim arbor plantata secus decursus aquarum *Damasenus* inquit *lib. 4. cap. 18;* ita anima irrigata divinâ Scripturâ maturum adfert fructum fidē orthodoxam.

LVI. Non enim litera est mortua Scriptura seu *Scriptura* est *DEI* verbum, sed potentia *DEI* ad salutem omni credienti *Rom. 1. v. 16.* ex cuius auditu est fides *Rom. 10. v. 17.* apertio cordis *Act. 26. v. 14,* & oculorum, ut convertamur à tenebris ad lucem *Act. 26. v. 18,* vivificatio *Psal. 119. v. 30.* & demum vita æterna. *Ioh. 5. v. 24.*

LVII. V. Denique quod ex Scripturæ definitio-  
ne elicimus, proprium ejus est officium, *Certos nimi-  
rum nos reddere & instruere de DEI essentia & voluntate.*

*Officium Scri-  
ptura.* LIX. Quamvis enim Naturæ etiam lumine ho-  
minibus ῥογμῷ τῷ Θεῷ sit manifestum, dum ex mun-  
di operibus æternam ejus potentiam ac divinitatē  
pervident, teste Apostolo *Rom. 1. v. 19. & 20:* verè ta-  
men loquendo notitia hæc aut nulla, aut imperfecta  
aut languida est, ut demonstrat *Magnus noster Chem-  
nitius* part. 1. loc. com. loco *DE DEO* cap. 1. quest. 2.

LX. Idem de voluntate *D E I* est statuendum.  
Coli velle Deum scit sanè humanæ ratio; cuiusverò  
hujus ignorat modum, quem Filius, qui in sinu est Pa-  
tris, nobis revelat *Ioh. 1. v. 18.*

LX. Quid autē in specie de Deo tūm secundū essen-  
tiam

Etiam tūm voluntatē sit sentiendum, sequentes dēmōstrabūt συγγράτεις. Nos à definitione sufficienter hactenus excussa ad Scripturæ S. divisionem progredimur.

LXI. *Duplex* a. Scripturæ S. seu librorū Biblicorū divisiō afferti solent: *Vna à tempore, Altera ab autoritate petita.* Divisiō.

LXII. Temporis ratione Scriptura vel est Testamenti Veteris, quæ ante Christū natū per Moysen & Prophetas est cōsignata; vel Novi, quæ post natū & exhibitum Messiā ab Apostolis promulgata. Quæ divisio quia infrā recurret & plurib. tractabitur, de ea heic nihil addimus.

LXIII. Autoritatis verò respectu libri vulgò bibliici dīcti vel sunt *Canonici*, qui publicum habent, & perpetuum primitivæ Ecclesiæ testimonium, ab ipso DEO traditum, quod divinitas Prophetis Apostolis & sanctis D'E I Hominibus, qui in fundamento non errarunt, sint inspirati, ut juxta illos dogmata examinarentur; vel *Apocryphi*, qui publica Ecclesiæ testificatione destituuntur, nec ad dogmatum stabilitatem per se faciunt, sed quatenus cum illis consonant.

LXIV. Canonica hæc autoritas unde dēpendeat su- *Constitutio* præ est dictū. *Constitutio* verò *Canonis* non ab initio sta- *Canonis Scripturæ* rim mundi, nec viventibus adhuc Prophetis & Aposto- lis est facta, sed desinentib. scribere & vivere Prophetis in Veteri, Apostolis v. in N. Test., quod omnes γνῶσις librorū istorum fuisse Autores, Ecclesiarū, quas docuerūt, testimonijs constabat, quæ proinde libros eorū ut DEI vocem recipientes, Canonē constituerūt, ad quæ in controversiarū omniū dijudicatione recurri posset.

LXV. *Canonicos libros Test. Vet.* agnoscimus omnes, præter terrium & quartum Esdræ, fragmentū Esther, Orationem Manassis, fragmentum Danielis, librum Judith, Tobiam, Baruch, Librum Sapientiæ, Ecclesiasticum & libros Maccabæorum.

**LXVI.** In Novo vero Testamento è Canone eximimus  
Epistolam ad Hebræos, Jacobi, Petri posteriorem, Jo-  
hannis secundam & tertiam, Judæ, & Apocalypsin Jo-  
hannis; reliquis Canoni insertis.

*Librorum A-  
pocryphorum  
discrimen.*

**L XVII.** Insigni tamen notato discrimine, quod  
Apocryphis tūm veteris cum Novi Testamenti, tūm  
his cūm se invicem intercedit. Novi enim Testamen-  
ti Apocrypha omnia consensum Ecclesiæ habent ma-  
jorem, quæ aliquando etiam nullum eorum extra Ca-  
nonem posuit: Veteris vero T. non item.

**LXIX.** Epistolæ vero ad Hebræos, inquit B. noster  
Hunnius in examine cap. 10. lib. I. de verbo DEI Bellarm.  
Petri posteriori, Johannis secundæ & tertiae Epistolis  
& Apocalypsi, nos majorem ac pene Canonicas illis  
Scriptis parem autoritatem tribuimus, partim ob ma-  
jorem consensum Ecclesiæ primitivæ, partim ob sty-  
lum autoribus cōgruentem, partim ob insitum quod-  
dam κριτήιον ab illustribus vaticinijs eorumq; claro  
eventu.

*Errores cum  
Scriptura pu-  
gnantes.*

**LXIX.** Demum eliminamus à Scripturæ S. hacte-  
nus declarata veritate *Errores* in primis *Pontificiorum*  
crassissimos, quorū aliquot etiam in nupero colloquio  
Ratibonensi de novo eructatos & propugnatatos ab il-  
lis legimus, quod *Scriptura* *controversiarum religio-*  
*nis omnium norma esse non possit*; quod nulla hære-  
sis unquam ex ea sola sit refutata<sup>1</sup>, quod traditio[n]es ei-  
sint assuenda; quod sit imperfecta, obscura, ambigua  
& flexiloqua; nec laicis nec in lingua peregrina le-  
genda; nullos libros habeat apocryphos; in vulgata  
translatione veteri pro authentica sit agnoscenda; ex-  
orcismis & alijs superstitionibus adhibenda.

**LXX.** Deinde fanaticos illos, qui vel spreto do-  
centium

centium in Ecclesijs & Scholis ministerio à undidanni  
esse volunt; vel laborem discendi subterfugientes no-  
vas expectant revelationes & raptus Enthusiasticos;  
vel prætextu aliquo vano Novi vel Veteris T. Scriptu-  
ram, aut partem saltem ejus aliquam rejiciunt.

LXXI. Et deniq; manifestè impios qui Scripturam  
pro ludibrio habent eamq; vel irrident, quales Philo-  
sophi fuerunt pleriq;, vel libellis famosis aut nugis ad-  
h. bent.

LXXII. Qui errores crassitie & absurditate sua  
satis conspicui partim ex superioribus possunt refura-  
ri, partim examini subjicientur in sequentibus quæ-  
stionibus.

### *Quæstiones Controversæ de Scriptura Sacra.*

LXXIII. Hanc veritatis esse vim *Seneca* alicubi  
dicit, ut contra omnium ingenia, calliditatem, soler-  
tiam & contra fictas hominum insidias facile se per se-  
ipsam defendat; impugnantibus enim multis suscita-  
tur & crescit, cum falsitas vel error nullo sibi assisten-  
te consenescat ac disfluat, *ut ait Chrysostomus homil. 3. de  
laudib. Pauli.*

LXXIV. Hæc ergo ex Israelis fontibus limpidis-  
simis hausta, ad dilutionem falsitatis Scripturam hanc  
assertam evertere nitentis sat erit valida & sufficiens.  
Omissis autem γερουάχοις alijs, cùm Pontificijs po-  
tissimum juratis illis Scripturæ hc tibus & perverso-  
ribus manus conseremus.

### *Q U A E S T I O*

*An omne D E I verbum homini cognitu necessa-  
rium in literas relatum, & quid de Traditionibus sit  
statuendum?*

O

E pri-

LXXV. E primarijs, quæ cum Pontificia cohorte nobis intercedunt, quæ questionibus controversis præsens est, in qua summam & salutem Regni Antichristiani quia sitam esse unicè norunt Parasiti aulæ Romanæ; in ea propugnanda quoq; omni ingenij robur adhibent, conquerentes ex omnibus tūm Scripturæ (quamvis deterræ & miserè perversæ) tūm Antiquitatis angulis, quibus & verbi Scripti autoritati detrahere, & Traditionum suarum fictitiarum necessitatem & præstantiam elevare quoquo modo possint.

LXXVI. Questionis autem momentum in eo est situm: An omnia, quæ homini Christiano ad fidei morūq; informationem scitu sunt necessaria scripto DEI verbo cōprehensa sint; an verò præter hoc Traditiones seu ejusmodi dogmata, quæ nec in Dei verbo contineantur, nec ex eo evidenter deduci queant, imò verò è diametro ei repugnēt, sint admittenda? In qua pro posteriori pugnant Papicolaræ, nos cum Spiritu S. pro priori parte.

LXXVII. Pro sua assertione Pontificij, & inter hos Bellarminus lib. 4. de verbo DEI cap. 3. & seq. & rationibus & autoritatiibus, ijsq; tūm humanis tūm divinis dimicant, sed successu parùm fausto.

LXXIX. Quod enim Scripturam ipsam dicunt probare Traditiones adductis aliquot ejus locis, in quibus vel traditionum expreßè, vel multorum non scriptorum, sed auditorum & observandorum fit mentio, qualia sunt loca. 1. Cor. II. v. 2 & cap. 15, v. 23. 2. Thes. 2, v. 15. in quibus traditionum seu παραδοσεων; Iohann. 16. v. 12. & cap. 21. v. 25. & in 2. & 3. epistolis Iohannis, ubi multorum non scriptorum; & denique 1. Tim. 6. v. 20. & 2. Tim. 1. v. 13. & 14. ubi auditorium mentio injicitur: in ijs omnibus turpiter labuntur.

LXXIX. Dum I. ἐπεργητæ seu mutantes statum contro-

Statu in Con-  
troversia.

Scripturam  
probare Tra-  
ditiones.



controversiae, qui non de traditionibus in universum est omnibus (ut enim dogmata aliquando vel à Christo immediate vel ab Apostolis tradita traditionum nomine venire non negamus: ita has à nobis non damnari scire poterant Adversarij ex Chemnitij nostri Magni part. t. exam. Concil. Trident.) sed specie certa, quæ scilicet verbo DEI contrariatur.

LXXX. 2. Tò ēv ἀρχῆς αἰγάλεως & id præsumente stanquā probatum, de quo adhuc controvertitur. Quis enim illis largietur, multa illa non scripta statim eas esse Traditiones, quas falsò pro Apostolicis in papatu jagitant? quis non potius eas spurias judicabit, cùm videat eas Apostolicæ doctrinæ scriptis comprehensæ in faciem contradicere?

LXXXI. 3. οὐς αἴτιον μη̄ αἴτιον seu falsam causam assignantes. Cur enim Christus discipulis non omnia dicet, sed aliqua reservaret ad tempus effusionis miraculosæ Spiritus S. in die Pentecostes factæ, causa nō fuit, ut inde traditionum q. Thesaurus nasceretur: sed discipulorum infirmitas & ignorantia Iohann. 16. v. 12. ad credendum tarditas. Luc. 24. v. 25. & animus errore Judaico de Christi regno mundano fascinatus Luc. 24. v. 21. & Act. 1. v. 6: Quæ omnia quia adventu Spiritus Sancti discipulos in omnem veritatem dacturi Ioh. 16. v. 12. docturi & suggesturi omnia Iohann. 14. v. 26. erant tollenda; ad id quoque tempus erant reservanda.

LXXXII. Sed addunt: Multa tamen non contineri in Scriptura, quæ nihilominus necessariò credenda, ut sunt: Canonica Scripturæ & librorū ejus autoritas; remedium pro peccato originali fœmellarum & masculorum ante diem octavum demortuorum in V. T; paedobaptismus; purgatorium & alia: Quorum proinde omnium fides ex Traditionibus seu verbo DEI nō scripto hauricenda erit.

C 2 83. 1c.

Scripturam  
non omnia  
continere.

LXXXIII. Verum hujus quoq; probationis vanitas, ex eo patet, quod 1. in plerisq; hisce principium turpisimè petant Pontificij, quæ in Scriptura si non p̄nt̄s, quoad sensum tamen continentur, ut sunt: Canonica Scripturarum autoritas, quam suprà ex meditullio ipsius Scripturæ demonstravimus; remedium pro peccato originali fœmellarum V. T. quod idem fuit Christi meritum pro peccatis mundi præstitum, reputabantur quippe fœmellæ pro circumcisio[n]e tanquam ex circumcisio[n]e natæ, pro quibus etiam sacrificatur, *Levit. 12. v. 5. Exod. 12. v. 3. 4. 47. & 48*; idem fuit remedium pro peccato masculorum, qui cum non legi circumcisio[n]is subjacerent, nec etiam condemnationi, ὅτα γδ ὀνόμος λέγει τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ. *Rom. 3. v. 19*; & deniq; Pædobaptismus, qui tum generali Salvatoris manda-to *Matth. 28. v. 19*, tum statu & conditio[n]e infantum *Iohann. v. 5*, tum baptisatione integrarum familiarum *Act. 16. v. 33*; sufficienter probatur.

LXXXIV. 2. Testimonium internum cum externo, primitivam Ecclesiam cum præsente confundant. Testatur quidem Ecclesia etiam de Canonica librorum bibliorum autoritate, externo autem tantum testimonio non interno, ut Scriptura; & non tam præsens quam primitiva, quæ ipsos Prophetas & Apostolos docentes vidit, audivit, & testimonium proinde perspicuum & indubium ijs perhibere potest.

LXXXV. 3. Taceo falsitatem & absurditatem dogmatis de purgatorio; quod ut & plerasque traditiones pontificias alias in Scripturis non reperiri rāv ἀρΦοῦ largimur, utpote quæ Christiano non necessaria sed perniciose & ad salutem impedimento sunt.

LXXXVI. 4. Exegistas addo, si maximè traditiones

tiones quasdam esse in Ecclesia concedatur; unde Pontificij fidem nobis facient, has vel illas esse & non alias? Quas enim *Regulas Bellarminus* pro asseveratione aliqua certa cudit lib. 4. de Verbo DEI cap. 9. præter adolescentiam & puerilem principij petitionem nihil continent.

LXXXVII. Sarta proinde testa nostræ assertioni thesi 44. positæ suisque momentis roboretæ sua adhuc constat veritas; Omne DEI verbum homini ad salutem scitu necessarium esse scriptum, nullasque Traditiones, quales Pontificij quidem propugnant, esse necessariò credendas aut recipiendas.

---

### Quæstio II.

An Scriptura Controversiarum religionis omnium norma sit unica?

LXXXIX. Ut veritas veritati confona est, ita ex præcedentis quæstionis determinatione de præsente quid statuendum sit facile apparebit. Si enim Φειδωποὶ εἰδότες Pontificiæ in favillas redactæ Scripturæq; sua constat integritas & perfectio; quomodo non ad controversiarum in universum religionis omnium dijudicationem illa erit sufficientissima? aut quid ei superaddi aliud poterit?

LXXXIX. Quæ ipsa sententia cùm in thesibus sufficienter sit comprobata, Romanenses quid contrariant, & huic veritati opponere valeant, breviter videbimus.

XC. Statuunt autem illi in thesi sua, quam Rationæ proximè probandam & defendendam suscepunt: *Scripturam S. non esse judicem omnium Controversiarum*

*terum Fidei & Religionis Christianæ; normam quidem esse infallibilem, verum nec unicam, sed præter hanc necessariò admitti debere Traditiones & Ecclesia definitiones, Doctorumq; Orthodoxorum consensus.*

XCI. Ubi nos (uti ex thesi 42. patet) priorem partem facilimè largimur, si nimis hoc accipiatur sensu: DEum vel Spiritum S. supra esse Scripturam & per illam hoc judicium exercere: posteriorem vero dīappñdā negamus.

*Scripturam non esse normam Controversiarum u-*

*ma judicij politici, in quo requiratur judex, qui agnoscat Controversias, sensum legis explicet, & transgressores, ut stent decisioni, compellat; tūm ab insufficientia nostri judicis, quod nec Scriptura, ut verbum est Spiritus S. nec ipse Spiritus S. loquens per Scripturam (ut blasphemavit Gretserus) talis esse possit judex, cūm non ita dicant sententiam, ut altera pars evidenter sciāt se viciisse, altera se causam amisisse; tūm a controversialijs peculiarib., ut sunt celebratio paschatis, perpetua Mariæ virginitas, an Evangelium Nicodemi sit Nicodemi & aliis, quarū decisio ex Scriptura haberi nequeat; Et alijs quibusdam propria futilitate cōcidentibus.*

XCII. In quibus omnibus, quia partim status invertitur Controversiæ, quasi nos Judicem supremum & absolutissimum statueremus Scripturam, ut nūdā, quam pro norma tantūm agnoscimus; partim Ecclesiastica judicandi ratio cūm politica confunditur, controversiæ de ceremonijs cum ijs quæ de cultu vel morib. partim principijs petitor & impietas insuper occurrit maxima, ut tū in colloquio ipso ad oculū, tūm post illud contra Phœnicians adversariorum scriptis nostratum Theologorum est ostensum; cramben recogitam apponere nolumus

XCIIV.

**XCIV.** Illam exceptionem frivolam præterire non possumus, quam ad fundamentū nostrum secundū ex Deuteronomio & alijs locis petitum, tam cerebrò ingeminant: prohiberi ijs in locis additionem non prater sed contra Scripturam, interdictumq; hoc privatas tantum concernere personas & præcepta Legis non omnia.

**XCV.** Præterquam enim quod sine omni probatōne solida hoc asseritur 1. contradictionem implicat, contrarium aliquid Scripturæ posse addi: contrariæ siquidem Legis assumptio, non additio veteris, sed potius antiquatio est & abrogatio:

**XCVI.** 2. *Indefinita locutio est in allatis Scripturæ locis;* & ea quæ contra, & quæ præter Scripturam adduntur, prohibens; Unde ergo suam illam restrictionem desument Pontificij?

**XCVII.** 3. *Impietate non caret illa limitatio,* qua quippe omnia Thalmudistarum deliria possent defendi, cōquod sint præter Scripturā, non contra eam, ut Romanensibus placet.

**XCIIX.** 4. Non tantum præter sed etiā *contra Scripturā traditiones* ex sunt omnes, quas Pontificij hoc loco urgent; proprio ergo gladio suam hanc assertionem jugulabunt.

**XCIX.** 5. Non personis privatis præceprū illud promulgabatur, ut falsò illi fingūt, sed universo Israeli, qui vidit miracula in populo Dei facta, *Deut. 4. v. 1. & 3.*

**C.** Non deniq; pauca tantum attinet præcepta illa clausula, sed *omnia*, quibus scilicet Deus cum Israēl fœdus pepigit *Exod. 34. v. 27.*

**C I.** Id demum circa hanc de Controversiarum Religionis Judice disputationem observationem metruraliquā, *An legitimus processus sit ille, quem Lutherani*  
*contra*

contra Pontificios in hac materia hactenus observarunt; an  
verò via aliqua compendiosior possit dari?

C II. Peccasse enim quidā in systemate suo Theologico dicit Theologos nostros, quod nō primūm quaesi-  
serint ex Pontificijs: An concedant Scripturā esse nor-  
mani fidei & dubitationū de fide motarum saltem ali-  
quo modo; & hoc cōcessō perrexerint, dicendo: Ergo de  
controversijs particularibus, ut de justificatione &  
alijs disputabimus. Keck. lib. 1. system. Theol. p. 175.

Quomodo di-  
sputandum  
de norma  
Controversia-  
rum Religio-  
nis.

C III. Verūm absit ut nos sexagenarios Præcepto-  
res nostros controversiarum modorumq; quibus de ijs  
disputari optimè possit, scientissimos, de ponte, quod  
dicitur, præcipitemus. Dicimus ergo confundere ho-  
minem Disputationem, De articulis fidei reliquis, &  
De ipsa norma controversias fidei dijudicandi institu-  
tam, qualis fuit & nostratum Theologorum.

C IV. In illa facilē largimur modum propositum  
habere locum posse, non verò in hac, in qua id ipsum con-  
trovertitur: An saltem aliquo modo Scriptura sit norma,  
an verò simpliciter & unicè? Quorum illud Pontificij,  
hoc nostri Theologi defendebant.

C V. Valeat ergo transmarina Philosophi illius  
sapientia. Nos Controversiam præsentem claudimus  
memorabili illo Augustini, quod habet lib. de unitate  
Eccl. cap. 3: Non audiamus, hæc dico, hæc dicis, sed  
audiamus: Hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Do-  
minici, quorū autoritati utrique consentimus, utri-  
que credimus, utrique servimus. Ibi queramus Ec-  
clesiam, ibi discutiamus causam nostram. Hæc  
ille.

QUAE-

Q U E S T I O   III.

Quid de translationibus Bibliorum varijs  
sentiendum?

C VI. Quæ de Scripturæ Canone, perspicuitate &  
alijs non inutiliter quæri & examinari hoc loco poter-  
rant, brevitatis studio omittimus, quærentes colo-  
phonis loco; quia ex originalibus linguis Hebræa Ve-  
teris, & Græca Novi Testamenti, in alias linguas Sy-  
riacam, Græcam, Germanicam, &c. biblia translatæ  
jam legimus: quid vernaculae cuiq; populo de hisce  
statuendum sit?

C VII. Ubi initio extra omnem ponimus Con-  
troversiam; originalem linguam cujusq; Testamenti  
reliquis omnibus puriorem & in controversiarum de-  
cisione præferendam esse, Nam, ut ille canit;

Rivalus humano quo plus à fonte recedit,

Puras plus nitido flumine fundit aquas;

Quo magis à sacra at profluxit origine fontis,

Hoc magis impuros efficit unda lacus.

C IX. Unde inpiam esse necesse est sententiam  
illam Bellarminianam & Concilij Tridentini decre-  
tis petitam, Versionem bibliorum Latinam vulgatam sub De versione  
vulgata quid  
statuendum.  
Hieronymi nomine jactitatem, autoritatus esse tantæ,  
ut in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus  
& expositionibus pro authenticâ habeatur, ita ut nemo eam  
rejecere quovis praetextu auacat vel præsumere posse.

C IX. Quam tamen ipsam tot ferè scatere mendis  
& vitijs constat, ut à nostris monstratum est Theolo-  
gis, qnot constat folis, quicquid et iam palliationis &  
excusationis moliatur Bellarminus lib. 2. de verbo DEI  
cap. 12, 13. & 14.

D

C X. Idem

C X. Idem de translationibus aliis est statuendum.  
Unde nihil iterum emolumenti accedit Goliatho hu-  
ic Romano, quando sibi plurimum gratulatur lib. dictio  
cap. 4 de commodo editionis Syriacæ, quod in titulis  
ac sectionibus capitum mentio fiat jejuniorum, vene-  
rationis crucis, precum pro defunctis & aliarum ine-  
ptiarum. Quæ enim à Scriptura, uti in fontibus habe-  
tur, manifestè omnia damnentur, legitimare ea Sy-  
riacæ editio non poterit.

*An in tribus  
tancum lin-  
guis Scriptura  
legenda.*

C X I. Quod verò vulgares Bibliorum editiones  
improbat idem cap. 15. contendens in tribus solum linguis  
*Hebreæ, Græca & Latina* consecratis titulo crucis Domini-  
cæ lectionem sacrorum bibliorum esse permittendam: in eo  
non male consulit Jesuita sedi Pontificiæ, cuius quia  
errores ex hisce editionibus vulgaribus à plebeis et-  
iam deprehendi posse præsentis sit, mature huic malo  
esse medendum autumat.

C X II. Nos contrà ère existimamus esse Ecclesiæ,  
si in eam linguam, quæ illi vernacula est, codex bibli-  
cus translatus ab omnibus legatur, idque probamus.  
I. manifestis Scriptura testimonis, quæ ita jubent orare  
lingua, ne mens fructu vacet, & nec in aërem loqua-  
mur 1. Cor. 14. v. 8. & 14; volunt Christianos invicem  
loqui psalmis, hymnis & cantionibus spiritualibus.  
Eph. 5. v. 19. & Col. 3. v. 16.

C X III. 2. Ratione invicta. Finis enim officiorum  
divinorum publicarumq; lectionum est, ut per pati-  
entiam & consolationem Scripturarum spem habe-  
amus Rom. 15. v. 4. ut alij instituantur 1. Cor. 14. v. 19. At  
ex lingua ignota & peregrinâ instructio, ædificatio,  
consolatio nulla. Et si non inquinatur verbum DEI,  
quando

quando prædicatur lingua vulgari, quâ inquinabitur,  
si eâdem scribatur & legatur?

**CXIV.** 3. *Exemplis manifestis.* Prædicavit Christus  
linguâ vernaculâ, loquebantur Apostoli varijs linguis  
die Pentecostes magnalia D E I, & postea dispersi per  
orbem terrarum, prædicaverunt ubique linguis eo-  
rum populorum quibus prædicabant. Ergo vernaculis  
linguis Scripturas habere licet, imò necesse est.

**CXV.** Vanus proinde Jesuitarum est metus de po-  
puli corruptione exlectione S. Scripturarum in lin-  
gua vernacula. Idem enim ex prædicatione concludi-  
ptomptum esset, si aliquid illatio hæc haberet robo-  
ris. Verus ergò τὸ συμβεβηκότος εἶλεγχός. Quod  
multi corrumpantur non Scripturæ sed legentis fit  
vitio, qui, ut antea ex Hilario est dictum, cogit hoc  
videti dictis contineri, quod ille ante lectionem præ-  
sumit intelligendum.

**CXVI.** Et annon de eruditis illud potius exti-  
mescendum, qui erroribus vicinioriores, quam vulgus  
indoctum, quod hæresin, ut proverbio dicitur, rarò  
excitat. Primitiva certè Ecclesia hoc periculum  
non advertit, quando Mōsis, Prophetarum & Apo-  
stolorum Scripta lingua toti Ecclesiae notâ curabat  
prælegi; unde miram hujus gentis Esauiticæ necesse  
est esse sapientiam, quæ acumine longè subtilissimo  
ca possit cognoscere, quæ tot seculis fuerunt i-  
gnota.

**CXVII.** Faceant ergò hæ inepia. Nos con-  
cludimus.

cludimus cum Chrysostomo homil. o. ex epist. ad Col: Au-  
dite seculares omnes, animæ pharmaca; si nihil aliud vul-  
pis vel novum Testamentum acquirite, Apostolorum a-  
cta, Evangelica, &c.

DEO SCRIPTURÆ ET SALUTIS  
nostræ Autori & Consummatori  
unico sit Laus, sit Gloria.



AB: 155067

ULB Halle  
003 019 209

3




56.



**Farbkarte #13**

**B.I.G.**



DISPUTATIONUM THEOLOGICA-  
RUM DE PRÆCIPUIS FIDEI CHRI-  
STIANÆ ARTICULIS,

I.

De

# SCRIPTURA SACRA,

*Quam,*

Favente hujus Autore

De o,

*Sub PRÆSIDIO*

VVOLFGANGI FRANZII,  
S. S. Theologiæ D. & Professoris in Il-  
lustri Academia VVittebergen-  
si publici,

*Collegis examinandam proponit*

M. SIGISMUNDUS EVENIUS  
Navena-Marchicus.

*In templo arcis,*

Ad diem 25. Septemb. horis consuetis.

VVITTEBERGAE  
TYPIS JOHANNIS GORMANNI.

*ANNO M. D. CXI.*

2a